

gna pro veteri , uti ajebant , religione tuenda atque catholico in Gallia Rege creando Pontifici deferebant . Veneti , ad quos , præter ceteros , Galliæ successus attinebant , quod ea veluti libramento nimis sese Hispanorum potentia efferens coerceretur , multa secum de præsenti rerum statu volutabant : nullo magis immensam illam ac prope labentem imperii molem sustentari posse , quam si ab eo , qui animi magnitudine , militari virtute , rerum gestarum usu gloriaque excelleret , regnum administraretur ; quæ cuncta in Henricum confluxisse videbantur . Licet enim adhuc nova esset religione imbutus , tamen , cum ad præsentem ejus statum retinendum sese jurejurando devinxisset , Concilii decretis subjecisset , undique a regiæ stirpis Principibus circumscideretur , sperandum videbatur , ut , tandem recenti superstitione relicta , ad vetera sacra rediret ; totque ac tantis virtutibus ornato Principe , albicantibus ac frontibus liliis , Galliæ regnum in pristinum decorem & amplitudinem assureret .

Rex statim declaratus , per Vindocinensem Cardinalem , Suezionumque Comitem Joanni Mocenico , Reipublicæ apud Henricum III. legato , Turonibus tunc agenti , Regis obitum , suam in regno successionem significat ; propensam voluntatem atque amicitiam , quæ per tot ætates Galliæ Regibus cum Venetis intercesserat , defert . De iis omnibus Senatus a Mocenico certior factus , uti moris est , per literas eidem oratori missas , Henrici III. miserandum casum dolet , partum amplissimum regnum Henrico quarto gratulatur . Interea Messius , Henrici III. legatus , nondum ob itinerum difficultatem a Navarræ Regé acceptis literis , cum domi se continuisset , tandem quarto nonas septembbris Principis Patrumque Collegium adit ; atque , ut erat sagaci admodum ingenio , licet de iis quæ in Gallia acciderant , qui ambigeret , nemo esset , hæsitabundus , fluctuare animo , magnoque curarum æstu solicitari se , inquit ; hinc horrendum Henrici casum deplorare , detestari ; inde nondum id sibi compertum esse dicere , quod e Gallia ad eum nuntii adhuc non pervenissent ; in ea perplexitate , an domo posthac egrediatur , haud sibi constitutum : itaque Patribus Galliæ Regni res negotiaque enixe commendare . Ceterum Pontifex de Senatus ad Navarræum literis , deque officiis edoctus ,

*Senatus
literæ ad
Henricum
IV. Galliæ
Règem.*